

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]

Bibl: Regia.
DA BOX
35,-163.
(LN bis 80)
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]

DE CORONATIONE SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINcipis ac Domini, D. Chriſtiani tertij, Daniæ, Noruegiæ, Gottorum, Vuandalorumq; &c. Regis, Schleſuici, & Holſatiæ &c. Ducis, Comitis ab Oldenburg &c.

carmen authore

Ludolpho Priggio Hamburgenſi.

ANNO.

M. D. XXXIX.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]

SERENISSI-
MO ET POTENTISSIMO

Principi ac domino, Domino Chriſtiano tertio, Daniæ, Noruegiæ, Gottorum, Vuandalorumq; &c. Regi, Schleſuici, Holſatiæ, Stormariæ, Teutotomarſiæ Duci, Comiti ab Oldenburg & Delmanhorſt, domino ſuo indulgentiſſimo.

QVos nuper, domito cum uictor ab hoſte redires,
Egiſti merito, Princeps inuicte, triumphos,
Quasq; tibi duxit poſitis tranquillior armis
Cimbria, nos tenui referemus carmine pompas.
Tu modo magnorum penetranti ad limina Regum;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]

Muſa faue, faue & ipſe tuæ (Rex Inclyte) laudi.
Quando tuis etenim magnos uirtutibus æquas
Semideos, cupias etiam tua fortia paßim
Facta cani, teq; hoc ne dedigneris honore.
Tu potes egregij commune nepotibus eſſe
Principis exemplum ſtudijs belliq; togæq;.
Tu quàm ſis fortis, quàm uictum mitis in hoſtem,
Si tua facta leget, totus mirabitur orbis.
Quare ades, & placide feſta te pace fruentem
Ne pigeat legiſſe tuæ præludia famæ,
Hancq; tuis hederam uictricibus addere lauris.
Quos autē canimus, canimus tibi iure triūphos,
Et meritos uirtute tua, uictriceq; dextra,
Quam tuus acceptis nuper tot cladibus hoſtis
Senſit, ut indomito correptus corda furore
In tua reſciſſo prorupit fœdere regna,
Ingentemq; dedit Germano in littore ſtragem,
Hic, ubi puniceo ſpumantes ſaguine riuos
Ad ripas ſeu Traua tuas, ſeu littora Belthæ
Vidimus, hic tandem furor impius impulit arma
Cimbriaci per agros, per rura, per oppida regni.
Quid moror? effuſos ueluti cum carcere nimbos
Aeolus emittit, uentisq; tenacia laxat
Clauſtra, ruunt illi, pacatumq; æquor ab imis
Sedibus euertunt, fluctusq; ad ſydera tollunt.

Non

Non aliter rabidus per Cimbrica littora Mauors
Sæuijt (infandum) laxis effuſus habenis,
Vix etiam miſeris tanto in diſcrimine rerum
Pax ſperanda fuit, quis enim, quis cælitus illum
In deploratis ſperauerat affore rebus?
Qui uictor rediens ſpolijs ornatus opimis
Redderet afflictis tranquillæ munera pacis,
Quiq; ſuas æquis fundaret legibus urbes.
Quem tenuit ſpes illa? quis hæc præſagia pacis
Non commiſiſſet rapidis uelut irrita uentis?
Sed pater omnipotens regum qui fortia corda Dei de ſcriptio
Aeternis regit imperijs, menteſq; gubernat,
Non hoc in populo tantum ſæuire furorem
Vlterius paſſus, te fœliciſſime princeps,
Vincere qui ſcires, qui ſcires parcere uictis,
Te dedit his terris afflatum numine quodam
Cum tua perſpecta eſt per fortia prælia uirtus,
Inq; triumphatas diuina modeſtia gentes.
Tu patriæ quam uix potuit ſperare, ſalutem
Sanguineo uinclis frenato Marte tuliſti,
Tuq; adeo ereptas bellorum ex faucibus urbes
Fœdere pacaſti certo, non more tyranni
Quà monſtrat fortuna uiam & uictoria læta
Erumpens, ſatianſq; hoſtili ſanguine mentem,
Sed tibi præcipue dextra uictrice potito

Cur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]

Cura laborq; fuit belli componere fluctus.
Ac ueluti quondam tumidos compeſcuit Auſtros
Auſtros nimbiferis miſcentes nubibus æquor
Sceptra tenens liquidis madidus Neptunus in undis,
Cum pius AEolijs Tyrrhena per æquora uentis
Iactatus patrios AEneas claſſe penates
Inferret Latijs poſt diruta pergama regnis.
Ergo tibi ſacros decreuit iure triumphos
Primatum regni, clariſsimus ordo, Senatus,
Quod bene depulſo pacem firmaueris hoſte.
Sed mea propoſiti memor exordire triumphū
Muſa, nec à primis deflectito longius orſis.
Vrbs iacet emporio celebris, quo Dania nullū
Maius habet, ſeu quis tota regione uagetur,
Seu ſecet infidum mutandis mercibus æquor.
Hafnia nomen habet, ueterum domus inclyta Regū,
Hic ubi non dubio totam ſermone per urbem
Fama uagaretur læti læta agmina Regis
Eſſe in conſpectu, & latis procedere campis,
Nec mora, confluere, & portis ſe effundere apertis
Cum ſtrepitu ingenti, cum plauſibus undiq; magnis
Turba triumphales auide uiſura paratus.
Ipſe pium Regi declaraturus amorem
Protinus ex patria uenerabilis urbe ſenatus
Tendit in occurſum, Regiq; fit obuius ultro.

Vulgus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]

Vulgus io uibrante manu caua tempora circum
Clamat ouans animis, uocesq; ad ſydera iactat.
Ingeminata procul diuum uocalis ad aures
Verba refert Echo nunquam ceſſura priori.
Continuo pandit bifores urbs Hafnia portas,
Inuehitur niueis, Romano more, quadrigis
Rex cui ſceptra deus dederat fœlicia ſummus.
Aurea conſpicuis in curru bractea ſignis
Lucet, & auratis intacta premuntur equorum
Colla iugis, fulget temo aureus, aureus axis.
Quadriiugum niuei currum fumante iugales
Ore trahunt, lætisq; implent hinnitibus auras.
Hinc atq; hinc equites denſo currum agmine ſtipant,
Mille fatigantes redimitos ære caballos,
Quos phaleræ inſignes obeunt, quibus aurea frena
Ore micant, fulgent nitidis noua cingula bullis.
Tanta olim pompa tantisq; paratibus urbem
Intrabat domitis Romanus Scipio Pœnis,
Quiq; triumphalem meruiſſet laude coronam.
Verum hæc ut Latijs non cedit pompa triumphis
Seu quis opes, ſeu regales mirabere luxus,
Sic eſt quo ſuperet, & quo caput exerat alte
Romanos ſupra dominos gentemq; ſuperbam.
Illi ſi qua leuem dederat fortuna triumphum
Succeſſu rerum tumidi quo mœnia faſtu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]

Introijcere? quibus uinclis captiua trahebant
Corpora? uictoris quæ præcedentia currus
Larga per humentes fundebant flumina uultus,
Saxa quibus (credo) Marpeſia mota fuiſſent.
Et tamen hæc fuerat toleranda iniuria, ſi non
Quos ita multarant crudeli morte necaſſent.
Quum ipſos etiam Romana ſuperbia reges
Fortunam expertos ſub iniquo Marte ſiniſtram
Horrida de duro cogebat uincula ferro
Ante coronatos collo portare iugales.
Talis erat quondam ſæui uictoria Syllæ,
Talis erat Marij quo tunc uictore Iugurtha
Subdidit indignis collum regale catenis.
Sic bene qui poteras hoſtiles uincere turmas
Vincere non poteras proprium Romane furorem.
At bonus, Heroum priſco de ſtemmate natus,
Chriſtigerus princeps, cæco qui mota furore
Sedauit uirtute ſua ciuilia bella,
Qui redit uictor domitis tot millibus, & qui
Cimbrica perpetuam fecit per littora pacem,
Ecce triumphali uenit in ſua mœnia curru
Vndiq; nobilibus ſtipatus, & undiq; uulgi
Accipiens hilari manantes pectore plauſus,
Non tamen hoc læto captiuus in agmine miles
Ducitur infœlix qui turmas inter ouantes

Triſte

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]

Triſte ſupercilium demiſſus, ferrea collo
Vincla ferat, præcatq; Ducis ceu uictima currum.
Non ea barbaries, non tanta ſuperbia Regi,
Qui licet hoſtiles præſenti Marte cohortes
Fuderit, ipſe tamen uictor ſe fortiter ipſum
Vincit, & irati moderatur cordis habenas.
Poſtera cum primum digitis Pallantias aureis
Solis equis alti limen reſerauit Olympi,
Sacra Deo fiunt, ne quid non auſpice Chriſto
Chriſtigerus faciat pietate inſignis & armis.
Ardua ſacratum iacet intra mœnia templum
Templum ingens & marmoreis ſublime columnis,
Relligione patrum tot iam labentibus annis
Sumptibus extructum magnis, opibusq; ſuperbum.
Hic gemmis ſuſpenſa nitent aulæa per ædem,
Hic fulgent ſolido cælati Martyres auro,
Qui uera Chriſti pro relligione tuenda
Per fera fœlicem petierunt uulnera mortem.
Huc introgreßi non quos Romana colebat
Vana ſuperſtitio mores ritusq; ſequuntur,
Si qui deuicto meruiſſent hoſte tropheum.
Ecquis enim credat cæſo cæleſtia tauro
Numina uelle coli? quando ſyncera refulſit
Lux Euangelij, quam corde & pectore toto
Cimbricus inuicto cum Rege amplectitur orbis.

Deſcriptio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]

Ergo hic Albiacis accerſite nuper ab oris
D. Pomeranum. Fortis ad auguſtam, Bogenhagi, principis aulam
Sacra facis, ſancto ſed ſacra placentia Chriſto,
Cuius ut auſpicio ſuperatus ceſſerit hoſtis,
Illius hos etiam capiat modo uictor honores.
His tibi perpetuæ laudis decus, his tibi nomen
Aeternum meritis paries, famamq́; perennem,
Cuius ut es fortis contemptor, ita hæc tamen ultro
Te ſequitur quacunq́; abeas, quocunq́; recedas.
Te cuncti noſtro Pomeranum tempore Paulum
Saxones appellant, illis quia primus in oris
Sancta ſalutiferi ieciſti ſemina uerbi
Patre deo monſtrante uiam per mille labores.
Et quia relligio tenebris occulta iaceret,
Si nihil ingenuæ præberent luminis artes,
Acre tibi ſtudium fuit, & non ultima cura,
Saxonicæ paßim telluris in urbibus altis
Inſtituiſſe ſcholas, primis ubi protinus annis
Artibus & literis puer informatus honeſtis
Dijs olim & patriæ prudens inſeruiat urbi.
Has equidem fateor grato tibi pectore laudes
Dum pelagus pappi, dum terra ſecatur aratro,
Noſtri olim referent, uel poſt tua fata, nepotes,
Si tamen hæc quoq́; ſunt æuo uictura ſequenti
Carmina, perpetuam capies hoc nomine laudem,

Hafnica

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]

Haſnica quod belli, ſchola collabefacta, tumultu
Antiquum per te rediuiua recepit honorem,
Dum uigili ſtudio ſummisq́; laboribus illic
Noſſe doces uerum ſyncero pectore Chriſtum.
Quocirca, quas tota nequit tibi Cimbrica tellus,
Ipſe deus tanto reddet pro munere grates.
Si qua malos etenim manet hoc ſub iudice pœna,
Certa deus iuſtis reddet quoq́; præmia factis.
Sed tibi iam tempus, ſacris de more peractis,
Tradere Chriſtigero regalia munera Regi.
Iamq́; adeó limen ſcandunt altaris, & ipſum,
Aſpice, legitimi pulchra cum coniuge lecti
Primates regni feſta ante altaria ſiſtunt.
Ille genu flexo procumbit, & ora reſoluens
Tales deinde preces tulit. O qui cuncta per orbem
Fundaſti primus, bene qui fundata tueris
Imperia, & regum ſapienter corda gubernas,
Da pater auſpicio ſint hæc inſignia nobis
Sumpta tuo, ſanctoq́; mouens mea numine corda
Da pater ut recte tantis inſignibus utar.
Ipſe ego ſynceræ doctrinam relligionis
Per mea perpetuo curabo regna doceri.
Sic fatus lachrymis oculos impleuit obortis.
Protinus ante aras & magnis auſpicibus dijs
Vnctus odorifero, quem fert Iudæa, liquore

Cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]

Cum conſorte tori fulgenti accingitur enſe
Aurea quem fuluo condit uagina metallo,
Inſignem capulo, atq; auro rutilante coruſcum.
Enſe dato, Regni proceres, ueteriq; ſacratam
Indutus de more ſtolam Bogenhagius Heros
Sceptrum inſigne ferunt Regi, quod plurima circum
Indica bacca nitet, rutiloq; colore pyropus.
Miratur ſceptri gemmas, miratur & enſem
Circumfuſa aris procerumq; ducumq; corona,
Et nunc artificem, nunc ſceptri prædicat aurum.
Ipſum adeo imprimis hæc inter munera Regem
Omnes ſuſpiciunt, cunctorum uultus in ipſum
Fixus in obtutu manet uſq; immobilis uno.
Obſeruare iuuat qui tanto in principe geſtus,
Quæ forma, & quæ ſit placidi conſtantia uultus,
Pulchra uerecundo tingantur ut ora rubore,
Caſta ſit ut facies, ut frons ſibi conſcia recti,
Nullaq; ueſani det faſtus ſigna, nec ullam
Arguat in magno leuitatem pectore uultus.
Sic totum celeri perluſtrant lumine corpus,
Tertia dum Regi proceres inſignia mandant
Regalem capitis decus immortale coronam
Arte laboratam mira gemmiſq; ſuperbam,
Quarum fulgenti radiabat lumen in auro,
Quod Tagus, aut Hermus, uel quod Gangetica tellus.

Paca

Pactoluſue celer poterat miſiſſe uideri.
Poſtremo Heſperi s olim quale anguis in hortis
Peruigil auricoma ſeruabat in arbore pomum
Tale coronati manibus dat Cimbria Regis,
Tota quod horriferis arſit quo tempore bellis
Ipſe ſuum princeps caput obiectare periclis
Non ueritus trepidum dare terga coegerit hoſtem.
Poſtquam Chriſtigerus regales cepit honores,
Cepit & imperium lati tot millia regni.
Illum Cimber, & inſanis Gothus acer in armis
Immenſoq; patens regio Normannica tractu
Agnoſcunt Regemq; ſuum, Dominumq; potentem,
Ille tuus Dux eſt, ille eſt Holſatica princeps
Terra tuus, bibulis qua ſpumifer Albis arenis
In mare prorumpit, campoq; immittitur amplo.
Non illi molles populos & inertia corda
Subiecit dator imperij deus atq; hominum rex,
Sed genus acre uirum, ſed fortia pectora bello,
Et facilem uictu diuino munere gentem.
Bello præcipue paßim celebrantur & armis
Normanniq; Gothiq;, & firmo robore Cimbri.
Quos penes ut maneat tantarum gloria rerum
Ad decus egregium bello dextraq; parandum
Acre uiris calcar iam iam properantibus ultro
Eſſe poteſt, claris quod ſunt maioribus orti,

Gentes q
bus imp
rat Re

Quorū

Quorum non ſimiles tantum conentur haberi,
Sed quos(ut faciunt) poſt ſe uirtute relinquant.
Cimbri. Cimber in Auſoniam primo iam flore uirentem
Irrupit, fortemq; ſua te Cepio dextra
Demiſit decies octo cum millibus orco.
Et niſi uirtuti fortuna aduerſa fuiſſet
Cimbriacum Marius quo tempore contudit agmen
Roma triumphantis ueniſſes ſub iuga Cimbri.
Attamen infauſti quæ perdidit æquore campi
Gotthi. Ille, Gothus repetit longo poſt tempore ſigna.
Hunc tibi crediderim diuini numinis ira
Excidio ueniſſe, tuo cui ſanguine pœnas
Roma dares, quando ueterum uirtute relicta
In peius magis uſq; magis ſine fine ruebas
Plena libidinibus, cunctorum plena malorum.
Quare degenerem quo tandem uindice Romam
Ira deum uoluit fatales pendere pœnas
Nulla Gothum magnis non tollet laudibus ætas.
Normanni. At fera Normannis celebrem dat Gallia famam,
Quæ licet armipotens ſtudiiſq; ſit aſpera belli,
Inq; fugam Latias conuerterit ante cohortes,
Non tamen Arctoa uictam ſe gente negabit,
Donec apud fortes tellus Normannica Gallos
Nomen de populo tractum uictore tenebit.
Holſatia. Nec minus interea nobis Holſatica terra

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]

Terra potens armis, & fertilis ubere glebæ
Pars erit impoſiti, quamuis extrema, laboris.
Pars extrema meo poſt dictas carmine gentes
Sit licet, indigenum propter præclara ſuorum
Facta tamen, iuſto laudum tenet ordine primas
Inter Cimbriacæ confinia littora terræ.
Ipſa ſed in binas ſecta eſt Holſatia partes,
De quibus hanc rigidiſq; armis, opibuſq; potentem
Saxones, aſt illam phryſiæ gens priſca minoris Phriſij
Tot iam ſæcla tenet, ſedemq; tuetur auitam Holſatic
Nunc quoq; priſca tuos referens Germania mores cognome
Vnde olim egregiam laudem nomenq; tuliſti. to minor
Nam quia Teutonicis eſt antiquiſsima terris
Sola ferè ueterum ſeruat ueſtigia morum,
Solaq; non precio lucriq; cupidine ducta
Hoſpitio tutæ peregrinum ſedis egenum
Excipit & menſa ſociat, ſed comiter omnes
Omnibus officijs quando gens optima iuuit,
Non poſcit nitidum meritis pro talibus aurum.
Quid referã? quod cũ hoſte manu ſi quando pedeſtri
Acria collatis miſcebis prælia ſignis.
Illa tibi peditem præſtanti robore tellus
Illa uiros mittet, qui ſi ducantur in hoſtem,
Non prius arma domũ referent, q̃ cauſſa triumphi
Parta ſit in uiridi dulcis uictoria campo.

Bella

Bella tamen non ſponte mouent, ſed ab hoſte coacti
Quando uocante tuba certamen inire iubentur
Aut ſterni cupiunt, aut hoſtica ſternere ferro
Agmina, præcipitiq́; feruntur in arma furore,
Pro dulci patria, pro uita principis auſi
Oppetere, & mortem pro libertate paciſci.
Sed neq́; carminibus noſtris indictus abibit
Saxones — Saxon equum domitor, pugnaq́; inuictus equeſtri,
Holſatici. — Cui uirtute pares belli ſi ferret ubiq́;
Teutona terra uiros, nunquam noſtra improbus iſte
Regna latrociniis uaſtaret Turca nefandis.
Et quia uicinum ponto pelagoq́; ſonanti
Littus habet, uariæ quo diues copia mercis
Hinc atq; hinc, etiam extremo perfertur ab orbe,
Non aliquod tuguri culmen, non tecta caſarum
Sed uideas illum magnas habitare Corinthos,
Quas non diſiciat tempeſtas horrida belli,
Quas & oliuifera Pallas Tritonia pace
Ipſa colat, pulchræq́; ſua cum Pallade nymphæ.
Hæc regna, has noſtro celebratas carmine gentes
Nullius ipſe ſatis celebratus carmine princeps
Chriſtigerus regit, & placida nunc pace gubernat,
Regia cui ſummis mandari inſignia uotis
Vnanimes uoluere, omnes namq́; illius olim
Illius auxilio cum ſint ex hoſte redemptæ

Iure

Iure tenet ſceptrum, regni fert iure coronam.
Ergo ubi Cimbriaci conſenſu hæc munera regni,
Tot ducibus, tanta procerum inſpectante corona,
Ante ſacras aras ſuperumq; ante ora deorum
Tradita Chriſtigerus chara cum coniuge cepit,
Itur ad inſtructam mirandis ſumptibus aulam.
Namq; ibi (ne tenui complectar ſingula uerſu)
Effigies ueterum poſitæ longo ordine regum
Aere renidenti clara ceu luce reſulgent.
Ipſe alios inter cum magnanimo Friderico
Chriſtigerus, cuius tenet his fœliciter annis
Cimbrica regna nepos, humeris longè eminet altis,
Sceptra gerens dextra, galeaq; inſignis & enſe
Ex medio raptum læua tenet hoſte trophæum.
Non illo coluit pietatem ſanctius alter,
Quando ſuperſtes adhuc uitales optimus auras
Carpebat princeps, nemoq; fidelius illo
Sacra tuebatur diuini dogmata uerbi.
Sed ſi quando ſuos fera bella mouebat in hoſtes
Belli aliquod fulmen uidiſſes, quale fuiſſe
Fertur Alexander, qui magnis inclytus armis
Eſſe aliquem doluit, quem non ſuperauerat, orbem.
Verum Chriſtigero ſi fors uictoria belli
Ceſſerat, & ſæuum uirtute repreſſerat hoſtem,
Sic uictis, tanquam nollet uiciſſe, pepercit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]

Poſtquam illum terris ereptum fata tulerunt
Filius, imperij cepit, Fridericus, habenas,
Et tenuit multos regnum ditione per annos.
Quantas ille toga, quantas res geſſerit armis
Non Maro, non docti Muſa immortalis Homeri,
Non aliquis centum linguis, cui guttura centum,
Expediat neq; eas ſatis ullo carmine laudet
Hoc tacitum ſaltem nunquam mea Muſa relinquet
Pura Euangelij quod cum doctrina renata eſt,
Primus erat reges inter, qui iuſſerit illam
Per ſua diuinis uulgari regna miniſtris.
Ille ſuas gentes legum moderatus habenis
Cimbriacas pulchris ornauit moribus urbes,
Nulla cæde ſuos nullaq́; tyrannide ciues
Preßit, & experta eſt clementem Cimbria regem.
At nunc ſub pedibus cum latis aurea terris
Aſtra uidens toti cœlo eſt gratißimus hoſpes.
Quis non, amißis tantis Heroibus, omnem
Deformi in luctu uitam traduceret? aut quis
Non ſua perpetuis maceraret pectora curis?
Te niſi uirtutis patriæ, uirtutis auitæ
Inclyte Rex, generoſe Heros, fortißime princeps
Chriſtigere, hæredem nobis fortuna dedißet,
Qui nulli ueterum clara uirtute ſecundus
Hunc tantum populi poſſes lenire dolorem.

Ergo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]

Ergo omnis ceſſat populi dolor, omnia tandem
Temporibus iam læta tuis, te Rege ſuperbit
Dania, te propter tollit Normannia criſtas,
Et Gothus, apricos & ad Albidos hoſtia colles
Ruricolis qui bobus arant. Tibi fauſta precantur
Omnia & ingentē cuncti gratantur honorem,
Cum populo & tota ſanctus cum plebe ſenatus,
Et tua nobilitas, tua magnorum procerum uis,
Te plauſſu, te te clamore ſequuntur ad aulam.
Illic cum toties, Heros generoſe, tubarum
Audieris ſtrepitus, patulaq; exceperis aure,
Hæc etiam, ſi non Taratantara, tibia certè
Inueniat faciles Cimbrorum principis aures.
Poſt ubi firma meis ætas acceſſerit annis
Tunc tua bella canam, tua tunc uictricia uiuis
Si modo fata ſinent, ornabo coloribus arma.

FINIS.

AD

AD IOANNEM SAXONIum Holſatienſem idem Ludolphus Priggius.

Cum tibi Chriſtigero ſcriptos de Principe uerſus
Offerrem, ſtudii pignora prima mei,
Tu mihi cum docto, præceptor amande, Philippo
Illius edendi carminis author eras.
Tu, quia Cimbriacum ſyncero pectore Regem,
Laudibus aſsiduè quem uobis ipſe, colis.
Ille ſed ut calcar mihi ſubdere poſſet eunti,
Quem ſtudiis aptum talibus eſſe putat,
Immemorem cuius meriti, modo uita ſuperſit,
Vlla dies animum non ſinet eſſe meum.
His igitur quos iam uobis authoribus edo
Eſte patrocinio uerſibus atq; mihi,
Ne mihi liuor iners ſtudijsq; inimicus honeſtis
Indignis laceret carmina noſtra modis.

Impreſſum Vitebergæ per
Ioſephum Clug.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 80 [35,-163 8°]